

menti Eucharistiae in ecclesia hospitali seu s. Marthae in casu?

S. C. resp.: Arbitrio Episcopi pro tempore, salvis juribus parochialibus et concordia anni 1734, et amplius.
Die 7. Febr. 1756.

9) In Ecclesiis Monialium.

Neapolitana.

Vd. t. III. p. 506,

(Conc. Tr. c. 6. sess. 13. De asserv. Sac. Euchar.; cap. 1. 14. sess. 23. De Reform.)

Intra districtum parochiae s. Januarii ad ulmum constitutum reperitur Conservatorium mulierum sub invocatione ss. Philippi et Jacobi, quod regitur a Consulibus laicis et Deputatis artis serici; in cujus ecclesia cum asservari consueverit sac. Synax necnon Sacramenta administrari personis ibidem existentibus, Alexander Guidellus modernus parochus recursum habuit ad hanc S. C. exquisitaque de more Ordinarii informatione Vicarius generalis Neapolitanus, absente Emo Archiepiscopo, retulit dudum se mandatum de manutenendo concessisse Capellanis antedicti Conservatorii in possessione seu quasi faciendi consuetas functiones et benedictiones ecclesiasticas necnon personis in eo degen. administrandi sacram. Communionem, tam tempore paschali quam extra ex causa devotionis, excepta tamen administratione SS. Viatici et extremae unctionis, in qua se manutenuisse, subdit informans, parochum, uti latius in decreto, quod datur in Summario. Subindeque perurgente eodem parocho in hacmet S. Congregatione pro declaratione, neutiquam in praef. ecclesia asservari posse SS. Eucharistiae Sacramentum, sub die 2. Jul. 1707 parte citata et non comparente, resolutum fuit: *Non posse, et dentur*

decreta, quae signanter sunt in Sa- lernitana 19. Augusti 1702. Nempe: An eadem Oblatae possint in earum ecclesia asservare SS. Sacramentum et sacrum Oleum infirmorum, sine licentia S. Congregationis et consensu parochi?

S. C. resp.: *Non posse sine licentia S. Congregationis.*

Concordatis itaque infrascriptis dubiis EE. VV. decidendum proponitur:

1. *An sit standum vel recedendum a decisio sub die 2. Julii 1707?*

2. *An Confessarius Conservatorii ss. Philippi et Jacobi valeat administrare omnia SS. Sacramenta Monialibus privative quoad parochum?*

S. C. C. resp. ad 1.: In decisio, et supplicent SSmo;

ad 2.: Exhibeatur Breve Sixti V., quod hoc indultum retinere refertur.

Die 28. Julii 1708.

Ad dub. earundem Monialium: An et quomodo sit indulgendum pro continua asservatione SSmi in Ecclesia Conservatorii?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 17. Apr. 1709.

Neapolitana.

Puellis ac monialibus Conservatorii s. Mariae nuncupat. *del Buon Cammino* civitatis Neapolis humiliter S. R. Congregationi supplicantibus pro indulto retinendi Venerab. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia Conservatorii praedicti, S. eadem R. Congregatio, attentis relatione Emi Archiepiscopi Neapolitani ac consensu parochi, indulti petiti concessionem pro ecclesia exteriori tantum, arbitrio ejusdem Emi Archiepiscopi remittendam censuit.

Die 11. Julii 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1382 n. 2689.)

10) In ecclesiis et claustris Monialium asservarive possit s. Particula furtiva et reportata?

Vd.: SS. Sacram. euch. (particulae dubie consecratae etc.; miraculos.)

Granaten.

Apud Alhamae oppidum in ecclesia PP. Carmelitarum anno 1725 patratum fuit sacrilegum furtum sacrae pyxidis, in qua complures sacratissimae particulae asservabantur. Probata per curiam ecclesiasticam earum identitate, cum repertae fuissent in domo rei, primum in ecclesia PP. Clericorum Minorum civitatis Granatensis, deinde solemniori pompa translatae fuerunt in chorum inferiorem extra clausuram Monialium Ordinis s. Francisci Excalceatarum Monasterii sub invocatione angeli custodis, donec die 4. Novbr. ejusdem anni 1725 jussu Archiepiscopi Perea clausae in parva pyxide argentea sigillis obsignata, translatae fuerunt in chorum inferiorem intra clausuram ejusdem Monasterii, in quo etiam modo asservantur.

Summa fuit, uti etiam in praesens est veneratio et cultus Monialium erga SSmm hoc depositum; jugiter enim diu noctuque ante illud orant, lampades cereosque accensos retinent et in reparationem illatae injuriae corpori Christi solemne festum quotannis celebrant. Praetereundum tamen non est praedictum Archiepiscopum Pream, cum forsitan vereretur ne alicujus ex sacris particulis corruptione, quae temporis successu evenire potuisset, Moniales periculo materialis Idololatriae exponerentur, jussisse in eodem altari asservari quoque et renovari augustissimum Eucharistiae Sacramentum.

Cum vero Praesul de Tauro in Archiepiscopatu Successor quaesivisset a Monialibus apostolicum indultum, cujus vigore ipsis fas esset asservare intra clausuram augustissimum Eucha-

ristiae Sacramentum, earum nomine anno 1734 supplex hac de re libellus exhibitus fuit S. Congregationi. Datis de more literis ad Archiepiscopum, ut de re tota referret, hic adhibitis peritis assumptisque etiam expertis viris ecclesiasticis ad earundem particularum formalem recognitionem devenit. Cum constitisset particulas incorruptas esse, Archiepiscopus jussit, ne loco dimoverentur, quinimmo vetuit, ne inibi in posterum conservarentur aut renovarentur aliae particulae consecratae, quemadmodum vigore decreti Archiepiscopi Perea actum fuerat: „Perche in esse, come consagrate persisteva l'oggetto certo, e determinato all'adorazione di Latria, che gli si deve, per la quale adorazione, non v'era bisogno di consagrarvi altre distinte Particole, perche essendo quelle incorrotte si conservava Christo sacramentato.“

Decreto hoc Archiepiscopi cum Moniales voti compotes evaserint, nihil ulterius actum comperitur in S. Congregatione. At ab inde citra frequentiores praedictarum particularum recognitiones fuerunt. Ab anno namque 1735 usque ad annum 1751, quos superstes fuit idem Archiepiscopus de Tauro, vel singulis vel saltem alternis annis recognitiones peractae fuerunt, in quibus constanti semper peritorum relatione constitit, particulas incorruptas permansisse. Eadem methodo se gessit Praesul Onesimus in Archiepiscopatu Successor; nam ab anno 1753 ad annum 1756 singulis annis easdem particulas personaliter visitavit atque incorruptas recognovit. Similiter annis 1758 et 1759 Capitulum Cathedralis, vacante sede archiepiscopali, ad ipsarum recognitionem processit. Eadem denique methodo usus est hodiernus Rmus Archiepiscopus, qui integro decennio octo vicibus sive per se sive per suum Vicarium

generalem easdem particulas visitavit, easque incorruptas recognovisse asseruit. Cum vero hic nollet diutius tolerare, quod sacrae hae particulae asservarentur intra clausuram Monialium, sive quia hoc decreto s. Conc. Trident. vetitum est, sive quia praeter necessitatem clausurae leges violarentur frequentibus recognitionibus, quae etiam Monialium quietem turbare eisque etiam sollicitudinem affere possent, curarunt moniales obtinere apostolicum indultum, cujus vigore Archiepiscopi committebatur arbitrio facultas indulgendi retentionem intra clausuram praedictarum SS. Particularum. Verum Archiepiscopus antequam suum interponeret arbitrium ad novam recognitionem die 25. Octobris deveniendum decrevit, cui et ipse interfuit.

In hac itaque peritorum et virorum ecclesiasticorum iudicio renunciatum fuit, particulas majores adhuc integras et incorruptas subsistere, in minoribus vero et minutissimis fragmentis aliquid immutationis vestigium deprehendi, ita ut gravis esset difficultas *di qualificarde incorrotte*. Quamobrem Archiepiscopus audito etiam promotore Fiscali commisso uti noluit arbitrio, quinimmo non obstante novo rescripto impetrato a Monialibus, quod subreptitium agnovit, jussit decrevitque: „che (*textus originalis erat corruptus*) cola piside legata, e sigillata, che esiste nell' altare del Coro alto, dentro la quale si racchiudono quelle sagre Particole, si trasportasse, comi si ritrovava da qualunque de capellani de Monastero al Ciborio dell' altare Maggiore in ora opportuna, in cui fossero chiuse le porte, senza pompa straordinaria, e per il passo interno della Sagrestia etc. Riservandoci di provederne a suo tempo circa al modo e forma di fare in appresso le ulteriori ricognizioni“.

Gravissimum hoc fuit Monialibus; quae cum ipsi Archiepiscopo signifi-

cassent, velle ad sacram Congregationem earum preces deferre, ipse ultro hac de re distinctam exaravit rerum omnium expositionem, ex qua superius relata desumpta sunt et ad hanc ipsam sacram Congregationem transmisit, quin suam explicaret animi sententiam et ipse quoque in hoc negotio EE. PP. definitionem expectans.

Petunt igitur Moniales indulgeri sibi facultatem retinendi in choro interiori praedictas sacras particulas. Exponunt se esse in possessione quinquaginta ferme annorum asservandi intra clausuram sacratissimum hoc depositum ab ipsis diu noctuque coli et venerari, lampades cereosque accensos retineri, quotannis solenne festum celebrari, in reparationem injuriae sacrilego furto illatae SS. corpori Christi, sacratissimas particulas ab anno 1734 usque ad praesens singulis fere annis ab Archiepiscopis pro tempore recognitas, non sine evidente miraculo illaesae, incorruptasque repertas, quod humana ratione evenire non potuisset, praesertim cum azimum faciliori dissolutioni obnoxium sit.

Subdunt vetitum quidem esse asservari et retineri intra Clausuram Eucharistiae Sacramentum, verum intelligendum de eo, quod conficitur pro sacra Synaxi et ad ritualis praescriptum singulis saltem hebdomadis renovari debet; hac sub lege minime comprehendendi casum, in quo sacratissimae particulae a sacrilega latronis manu praeservatae quinquaginta ab hinc annis cum evidenti prodigio supra naturae ordinem illaesae atque incorruptae supersunt et tales in posterum etiam futuras confidunt. Denique ex Archiepiscopi relatione in tot peractis visitationibus nihil evenisse, quod perturbationem attulerit. Summa sunt haec rationum capita, quibus Monialium petitio inauditur.

Contra promotor fiscalis potissimum insistit dispositioni sacri concilii de clausura monialium. Hanc autem nimium frequenter et non sine perturbatione Monialium infringi contendit frequentibus recognitionibus. Addit irreverentiam suboriri in ipsa adoratione, quam sacris particulis exhibent Moniales; cum enim eorum chorus interior nimium angustussit, evenit, quod „vel tempo stesso in cui le Monache adorano le sagre Particole volgono le spalle, all' Altare maggiore, ne mai vi mancava qualche discorso, che si cagiona dallo stesso concorso di altra gente“.

Ex facti autem expositione ad sacram Congregationem transmissa ab Archiepiscopo plura ad rerum elucidationem, quarum ullus circumferetur libellus expendenda sunt. Primum nempe, quod ab anno 1734 usque ad praesens singulis ferme aut alternis annis peractae fuerunt sacrarum Particularum recognitiones, ad quas peritos Physicos virosque ecclesiasticos evocari oportuit et frequentiores in posterum esse debent; alterum, quod, tametsi in omnibus praecedentibus cognitionibus ab anni 1734 ad annum 1771, tam a praedecessoribus quam ab hodierno Archiepiscopo peractis sacrae particulae incorruptae repertae fuerint, in postrema tamen anni 1773 habetur: „Che nelle particole riconosciute, ve ne sono molte, specialmente quelle di maggior grandezza, che si conservano salde senza indizi di mutazione, corruzione, o risoluzione, che l'altre minori ed anche minutissime, li quali pure stanno racchiuse nello stesso vaso hanno qualche mutazione; che si percepisce col latte, nella facilità, con cui si stritolano e pericuo appunto davano grave motive di dubbio per qualificarle incorrotte et in questo parere convenne ancora il nostro promotore fiscale“. Tandem advertendum

Archiepiscopum de hisce particulis nil aliud decrevisse quam quod transferri deberent: „dal Coro alto, qui est intra clausuram, al ciborio della Chiesa e collocarsi insieme con l'altre pissidi contenenti le Ostie quotidiane, ripetendo le recognizioni piu frequentemente di quelle si era fatto sino allora“.

His igitur praemissis, cum Moniales instent, ut sibi apostolicum concedatur indultum retinendi intra Clausuram has sacras Particulas, quas, ut in praeteritum coluerunt, ita etiam in posterum colent Latriae cultu et ipse etiam Archiepiscopus suo decreto praesupposuerit eodem Latriae cultu honorandas venerandasque, dum pixidem, in qua ipsae custodiuntur, reponi jussit in eodem loco, in quo aliae pixides cum Eucharistia asservantur, abs re non erit, si nonnulla de diuturna sacratissimae Eucharistiae asservatione ex constanti tam veteri, quam recenti Ecclesiae more et disciplina ad EE. PP. memoriam revocentur.

Compertum sane est antiquissimum fuisse morem haud diu sacram servandi Eucharistiam, imo post missae celebrationem communionis reliquias in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali pueris jejunis ad id specialiter advocatis in templis distributas fuisse. Eam praxim saeculo sexto apud Orientales obtinuisse probat insigne miraculum, quod tempore imperatoris Justiniani et patriarchae Mennae evenit de puero Judaeo, qui triduo permansit illaesus in ardenti formace, in quam a Patre fuerat projectus, quod cum pueris christianis superstites communionis manducasset, ut refert *Evagr. hist. Eccles. lib. 4. cap. 35.* et *Niciforus* pariter *hist. Eccles. lib. 17. cap. 25.*, qui refert se, cum puer admodum esset, saepius cum aliis pueris reliquias sumpsisse.

Eandem disciplinam in Occidente et praesertim in Galliis ipso saeculo sexto servatam fuisse liquet ex *Canon. b. Concil. Matisconensis habito anno 566.* In hoc enim cavetur: „quaecumque Sacrificiorum reliquiae post peractam missam in sacrario superfuerint, quarta vel sexta feria innocentes pueri ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, indicto eis jejuniis easdem reliquias aspersas vino percipiant“, uti habetur apud *Junin.* de Sacram. dissert. 4. quaest. 2. art. 2., *Sciardon.* hist. Sacram. lib. 3. cap. 6. Mos hic hodierna etiam disciplina firmatur. Etenim in Caeremoniali Romano novissime jussu san. mem. *Bened. XIV.* ed. itotitulo 4. de Sac. Eucharistiae vers. 7. Parochis praescribitur: „SSmae. Eucharistiae Particulas frequenter renovabit. Hostiae vero seu Particulae consecrandae vel ubi eas consecraverit veteres primo distribuat vel sumat“, quamobrem Theologi et Liturgici in eo conveniunt, Eucharistiam singulis hebdomadis vel ad summum infra quindecim dies renovari debere, *Antoin.* de sacram. Eucharistiae in sua Theol. moral., *Gavantus* part. 2. tit. 10. Commentar. de Rubric. Missae.

Hacque potissimum de causa Apostolicâ Sedes constanter rejecit ritum Graecorum, qui in feria quinta majoris hebdomadae consecrabant panes, ut per integrum annum asservarentur ad reficiendos lethali morbo laborantes, qui sacram Synaxim in viaticum deposcebant et aliquando etiam eisdem panibus consecratis, exiguam partem vini pariter consecrati effundebant, quemadmodum describitur a *Leone Alat.* in suo tractatu de Commun. Oriental. sub unica specie num. 7.; ritum hunc summus Pontifex Innocentius IV. in Epistola, quam dedit ad Episcopum Tusculanum, interdixit hisce verbis: „Eucharistiam in die Coenae Domini usque ad annum praetextu infirmorum,

ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent“. Quod etiam confirmatum fuit a san. mem. *Clemen. VIII.* in Constitut. 107. Bull. 9. tom. 8. part. 2. in qua cavetur: „SSmum. Eucharistiae Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur“. — „Non asservatur idem Sacramentum toto anno; si tamen asservatum fuerit saltem in fine anni sumatur“. — Ipsismet verbis hoc etiam praescripsit s. me. *Bened. XIV.* in sua Constitut. *Etsi Pastoralis* §. 6. tom. 1. Bullar. *) Quod etiam successive confirmavit alia Constitut. 47. §. 29. tom. 4. Bullar.

Cum vero res sit de Particulis non solum quinquaginta ab hinc annis asservatis sed imo res sit de iisdem servandis etiam in futurum eisque prosequendis ipsomet cultu Latriae, ponderandum: utrum huic rei officiat immutatio, quae evenit in minoribus particulis, quaeque iis verbis in Archiepiscopi relatione describitur: „Vi e qualche mutazione, che si percipisce coll tatto nella facilità, con cui si strito lano, e perciò appunto davano qualche motivo di dubbio, per qualificarte incorrotte“. — Si enim rerum immutatio talis esset, ut simplicem respiceret qualitatem, tunc sub ipsis non desineret esse corpus Christi, quod si earundem tangeret substantiam, tunc certe in his fragmentis desiisset esse Corpus Christi, secundum egregiam perspicuamque distinctionem *Divi Thomae* relatam in ejus summa part. 3. quaest. 77. art. 4. pag. 511. tom. 21. edit. Venet. anni 1757. „Distinguendum est inter utrumque modum praedictarum corruptionem; quia cum corpus Christi et Sanguis succedant in hoc Sacramento substantiae panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quae non suffecisset ad

*) Vd. t. III. p. 250. §. 6.

corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc Sacramento, sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor panis, aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis salvari natura panis et vini; si vero fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent Corpus et sanguis Christi sub hoc Sacramento: Et hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color et sapor et aliae qualitates panis et vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini, sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis vel vini“. Et prosequitur: „Ad primum ergo dicendum, quod ad corruptionem per se pertinet, quod auferat esse rei: unde in quantum esse alicujus formae est in materia, consequens est, quod per corruptionem separatur forma a materia. Si vero hujusmodi esse non esset in materia, posset per corruptionem auferi, etiam materia non existente, sicut accidit in hoc Sacramento, ut ex dictis patet“. — Proindeque si quoad minora fragmenta corrupta esset substantia, desiisset utique sub iis esse corpus Christi atque ideo Latriae cultu venerari non deberent. Itemque, si ulterioris corruptionis esset periculum, quod etiam in majoribus particulis, frequentioribus recognitionibus timeri posset in posterum, ne Sacramentum irreverentiae et fideles materiali Idololatriae exponantur, hoc in casu easdem particulas cum reverentia esse sumendas censuit *Sylvius* in suis resolutionibus verbo: Eucharist. I. tom. 5.

Certum tamen est ad triumphantis nostrae fidei confirmationem in SSmae Eucharistiae Sacramento ita divina

disponente clementia ad Incredulorum confusionem et dubiorum confirmationem plura evenisse miracula et praeter caeteris habetur in Ecclesia domus s. crucis Ordinis fratrum Praedicatorum de observatione nuncupat. Javarinensis Dioecesis in regno Hungariae conservari hostiam sanguine prodigioso conspersam, cum in dies evidentissima miracula fierent, propter quae populi multitudo eo confluebat, summus pontifex Alexander VI. in constitut. 97. in Bullar. fratrum Dominicanorum tom. 4. indulgentiam largitus fuit. Praeterea in eccles. s. Mariae in Vado in Monasterio canonicorum congregationis Rhenanae SSmi Salvatoris anno 1351 contigisse dicitur, ut parochi missam celebrante subitaque detentione perturbato atque haesitante, quoniam pacto fieri posset vera Christi caro, dum secundum ritum hostia elevaretur, quotquot aderant, qui permulti sane erant, Infantulum aspexisse, atque etiam in Missae progressu fracta hostia tantum sanguinem emanasse, ut capellae coelum totum sanguineis stellis fuerit conspersum; hujus autem prodigii gratia Ecclesia fuit donis et oblationibus et spiritualibus indulgentiis locupletata tum a Gerardo et Joanne Archiepiscopis Ravennae tum a summis pontificibus Eugenio III., Eugenio IV., Paulo III., Paulo IV., s. Pio V., Gregorio XIII. Clemens autem Papa Octavus Ferraria in suam ditionem vindicata sacratissimum sanguinem saepe adoravit Missamque in Ecclesia praefata celebravit.

Aliud ex ipsa conservatione s. hostiarum habetur in Ecclesia, quae quondam erat PP. soc. Jesu Complutensis civitatis; in ea enim conservantur viginti quatuor hostiae sive formae consecratae et ab anno 1597 mirabiliter incorruptae. Ferunt quippe impios nonnullos homines ex mauro-rum gente eas surripuisse, ut argen-

team pixidem venderent; adolescentem vero ex Hispanis parentibus et ab avita origine christianis hostias conservasse et patri Joan. Suarez tradidisse, qui cum adhibito in Consilium patre Gabriele Vasquez eas ob suspicionem veneni in loco humido sed decenti reposuisset, ut humore corruptas in cineres redigeret et sancte consumeret ipsas, post aliquot tempus non putrefactas sed candidas et integras invenit, atque in eodem statu diu eas vidit, licet ad sumendum experimentum alias quasdam hostias non consecratas in eodem humido loco reposuisset, quas reperit putrefactas et vermiculis scatentes, verum tamen est quod cum successive supplicatum fuisset pro facultate ut ab omnibus, tam saecularibus quam regularibus, qui complecti ad horas cononicas tenentur, officium cum missa propria recitari posset, cum petitionis examen remissum fuerit a S. C. R., a tunc temporis fidei promotore difficultates et quidem magni ponderis objectae constitutaeque fuerunt in defectu probationis consecrationis hostiarum et identitatis earumdem, ut a s. Congregatione die 20. Martii 1685 instantiae huiusmodi rescriptum fuerit: *non proposita*; quemadmodum haec relata habentur a S. mem. *Bened. XIV.* in ejus opera de canonizat. Sanctorum tom. 4. cap. ult. pag. 884.

His de asservatione praedictarum particularum praemissis, quod attinet ad decretum Episcopi circa earum translationem ad Ecclesiam exteriorem monialium duo sunt animadvertenda. Primum ne frequentibus recognitionibus violetur lex clausurae, quam innovando constitutionem s. mem. Bonifacii VIII. tantopere tantaque sollicitudine praescripsit s. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 5, de qua etiam celebres sunt constitutiones s. Pii V. incipien. *Decorii.*, san. mem. Gregorii XIII., cujus

initium: *Deo sacris*, et alterius, quae incipit: *Ubi gratiae*, quas omnes innovavit ac confirmavit san. mem. Benedict. XIV. in sua Constitut. 40. incipien.: *Salutar.* Bullar. tom. I.

Alterum, quod in eodem s. Concilio cap. 10. sess. 25. de regularibus et monialibus expresse cavetur quod Eucharistia intra septa monasteriorum non retineatur: „Quod vero SSmum. Christi corpus intra chorum vel septum Monasterii et non in publica Ecclesia conservetur, prohibet s. synodus non obstante quocumque indulto aut privilegio“. — Hoc ipsum definiit s. Congregatio Concil. in Toletana An. 1573. lib. I. decret. pag. 192 et in alia Toletana anni 1579. lib. 2. decretorum pag. 154. et in Barchinonen VV. SS. LL. die 16. Julii 1651. lib. 23. decr. pag. 58, solummodo habetur in Olisiponen. anni 1582. datas fuisse literas, Archiepiscopo summum Pontificem benigne indulsisse precibus monialium visitationis ejusdem civitatis, ut possent in interiori parte Ecclesiae in Choro intra Clausuram habere SSmum Sacramenti custodiam, dum tamen exterius pateat aditus Ministro nulloque alio exterioris Ecclesiae loco Sacramentum asservetur, ut ex lib. 4. decretorum pag. 38.

Quid igitur de asservatione praedictarum particularum, quid de Monialium precibus, quid denique de decreto Episcopi definiendum et censendum sit pro eximia qua pollent Sacri juris cognitione omnibus inspectis circumstantiis definire dignentur EE. PP. simulque responsum dare dubio, quod proponitur:

An et quomodo sit providendum in casu?

S. C. respond.: Affirmative juxta decretum Archiepiscopi et ad mentem.

Die 6. Maii 1775.

11) In Ecclesia paroch.

Cf.: *Lampas; Pyxis* (materia).

SS. Sacramentum consecrandum est in quolibet parochiali quantumvis paupere; quodsi redditus et societas non sufficiat, instituat quaeator vel eleemosynarum collector.

S. C. E. 28. Jan. 1603; 14. Mart. 1614. S. C. C. 22. Mart. 1594.

SS. Sacramentum quando in omnibus parochialibus Montanae regionis asservari pro tenuitate reddituum nequit, episcopus decernere debet, ut in singulas, ternas, quaternasque vicinas parochiales id onus distribuatur, ut in una ex eis habeatur SS. Sacram. et ad impensum lampadis et huiusmodi caeterae vicinae contribuant et, ubi se casus obtulerit, perinde uti rectores possint ac si in propria parochiali illud asservaretur.

S. C. C. 17. Aug. 1697.

12) In Eccles. non paroch. et Oratoriis.

Vd.: SS. Sacr. (ass. in capella, in eccles. Confr.) *Instructio Clem. S. XXXI.* n. 24.; *Paramenta* (benedictio, decr. Pii VI.); *Orator. priv.* (Bull. Pii VIII. de die 29. Jan. 1830); *Orat. publ.* (t. II. p. 493 etc.)

Non licere in Sodalitatum Laicorum oratoriis, quibus animarum cura non est adnexa nec hospitalitatis jus exercetur, quotidie asservare SS. n. 1558 die 14. Junii 1646.

Non licet Confraternitati SS. Sacramenti montis Marci continuo retinere SS. in sua ecclesia n. 3457 ad 8 die 25. Jan. 1698; num. 3662 die 22. Sept. 1703.

SSmum. asservandi facultas dari nunquam sive ab apost. Sede pro oratoriis *privatorum* domesticis. S. C. C. 1851.

Confraternitas disciplinantium Cunei montis regalis Dioecesis obtinuerunt

sub die 10. Oct. 1674 indultum asservandi in perpetuum in eorum Oratorio SSmum., dummodo quotidie in eorum oratorio quatuor missae celebrarentur. Cum vero Episcopus in visitatione compererit, pro celebratione trium missarum tantum redditus certos assignatos reperiri et haesitaverit, an obstante defectu quartae missae quotidianae cum eleemosynis Confraternitatis celebrandae, etiamsi plures ultra dictas tres missas ab aliis Sacerdotibus aliunde percipientibus eleemosynam fere quotidie in eodem oratorio celebrentur, esset imposterum in supra recensito indulto permittenda continuatio? S. C. resp.: pro continuatione gratiae n. 3510 die 21. Mart. 1699.

Non licet confraternitati saecul. b. V. M. Confalonis de Urbe in suo oratorio retinere SSmum. n. 8758 ad 13 die 22. Jan. 1707.

SS. Sacram. asservari non debet in Oratoriis cum superpositis cubiculis. Vd.: *Capella* (superposito etc. decr. num. 4770); *Seminarium* (habitacul.

Extra paroch. ecclesias non conceditur retineri assidue eucharistia. S. C. Ep. 15. Jan. 1610. Ecclesiae non paroch. ab Ordinario concedi non posse ut in ea retineatur SS. Sacram. *solum pro adoratione* sed requiri licentiam sedis ap. Quodsi Episcopus talem licentiam concesserit, licentiam ipsam nullam esse. S. C. C. 3. Mart. 1668; 3. Jan. 1683.

In Eccles. confrater., neque paroch. neque regul., retineri non potest SSmum. sine spec. Ind. Sedis apost. S. R. C. n. 3670 ad 26 die 12. Jan. 1704; 10. Decbr. 1703.

SSmum. conservari potest in Eccles. etiam non paroch., si ab immemorabili fuerit in iisdem asservatum. S. C. C. 27. Apr. 1709.

SSmum. debet quoque asservari in Regul. ecclesiis, quae de hoc habent privilegium. S. C. Ep. 25. Maii 1635.

Ad dub.: an in Ecclesiis non paroch. SSmum. asservari possit? S. C. respond. plurimum de prudentia ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit; num. 2017 ad 3 die 22. Novbr. 1659.

SSmum. in Ecclesiis Tertiariarum, quae professionem sol. trium votorum non emittunt nec in clausura vivunt, nullatenus teneri potest. S. C. Ep. 30. Decbr. 1626.

Ex decret. Concilii prov. Viennensis diei 9. Novbr. 1858.

Tolerari non potest, ut in ecclesiis filialibus sacrosanctum Sacramentum asservetur, nisi sacerdotem beneficiarium apud eas residentem habeant vel quotidie in eis sacrificium Missae celebretur, et ab ecclesia parochiali vel quadam virorum regularium domo non ita distent, ut incendio vel inundatione superveniente sacerdos ad Eucharistiam transferendam tempestive accurrere nequeat. Repugnat reverentiae Deo praesenti debitae, ut per integram septimanam vel et longius tempus sine adoratoribus et venerationis documento in ecclesia occlusa delitescat.

Ut autem populus viris ecclesiasticis longe agentibus coram SS. Sacramento ad litanias dicendas vel rosarium aliasve preces recitandas conveniat, refragatur regulis quibus Ecclesia in cultu divino moderando utitur.

Vetitum est, in Oratoriis privatis sacram Eucharistiam sine licentia ab episcopo impertita quibuscumque dispensare. Sacrosanctum Sacramentum ibi asservare nefas est.

(Tit. IV. cap. VII.)

Ex decret. Concilii prov. Pragensis diei 23. Sept. 1860.

Admitti nequit, ut in ecclesiis filialibus SS. Sacramentum asservetur, nisi ad eas resideat sacerdos vel in iis quotidie Missa celebretur et ab ecclesia parochiali vel virorum coenobio non nimis distent, adeo ut emergente incendio vel inundatione ad transferendam SS. Eucharistiam sacerdos tempestive adesse possit, ac nisi SS. Eucharistia qualibet hebdomada renovetur, diu noctuque lampas coram ea colluceat, et iudicio episcopi adsit necessitas ad consulendum saluti animarum. (Tit. IV. cap. IV. 3.)

Quae obtenditur ratio ut populus ad preces communiter persolvendas absente sacerdote coram SS. Sacramento convenire posset, repugnat praeceptis quae in obeundo cultu divino ecclesia sequitur.

Nuceriae Superioris.

Aeconomi ecclesiae SS. Sacramenti Nuceriae Superioris et b. Mariae de Carmelo de Platea paganorum ejusdem civitatis exponentes alias permissum fuisse dictis ecclesiis licet non parochialibus asservari SSmum. Eucharistiae Sacramentum, nuper a moderno episcopo fuisse in dioecesana synodo interdictum, supplicarunt pro licentia illud retinendi et sacra Congregatio laudavit et approbavit dicti episcopi decretum.

Die 20. Junii 1626.

(Anal. I. P. 1863. p. 187.)

Firmana.

Intra limites parochiae, quae unica est in castro Missiniani, adest ruralis ecclesia in honorem sanctorum Felicis et Audacti splendide erecta. Adnexus est eidem ecclesiae titulus beneficii simplicis, cujus rector ad Ecclesiae

cultum duos retinet capellanos, quorum alter ibi quotidie celebrat ac Sacramentum Poenitentiae ministrat, alter celebrat et applicat diebus tantum festivis. Quumque ob insignes gratias intercessione eorumdem Sanctorum a D. O. M. elargitas magna sit in eadem ecclesiam frequentia Fidelium nondum ex finitimis locis sed ex tota etiam Picaeni Provincia quotidie confluentium, hinc factum est, ut vicinae eidem Ecclesiae plures extractae fuerint humiles domus veluti vicum efformantes ad habitationem Villicorum ac nonnullorum etiam Opificum. Ob id a tempore, cujus initii memoria deest, asservari in eadem ecclesia consuevit augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ut habitatoribus in ea vicinia morbo detentis praesto esset ejus spirituale subsidium a Capellanis suppetitandum hyemali praesertim tempore, quo intermedium flumen imbribus tumescens inpedimento esse solet, ne parochus in Castro degens eidem aegrotis tempestive succurrat.

Quum autem Eminentissimus Archiepiscopus in sacra visitatione anni 1768 animadverterit, nullum adesse pro sacramenti retentione apostolicum Indultum, unius anni terminum ecclesiae rectori ad illud obtinendum praestitutum est. Rectoris tamen negligentiae supplevit Castri Universitas atque parochus obtento indulto per literas in forma brevis sub die 5. Maii 1770; loco tamen habendi gratias obtinentibus Ecclesiae rector obreptionis subreptionisque vitio accusavit breve apostolicum, remissaque ex rescripto Sanctissimi tum ejus rei tum aliarum subortarum quaestionum notione sacrae huius Congregationi, e re fisum fuit controversias omnes in septem capita dispertire, quae nunc definiendae subjiciuntur.

Quoad I. sustinent parochus et uni-

versitas Massiniani, nihil in precibus fuisse expositum, quod veritati admissim non cohaereret, omniaque relatione Emi archiepiscopi fuisse confirmata nihilque reticium, quod necessario foret exprimendum. Hinc onus rectori inhaerere concludenter probandi obreptionem vel subreptionem, *Marescott.* var. resolut. lib. 2. cap. 37. num. 69, *Rot.* dec. 485. num. 3 et 4. part. 4. tom. 2. Recent., praesertim cum gratia jam fuerit executioni mandata, *Rot.* ibidem num 5 et 6.; Advertunt insuper, quod etiamsi aliquid in supplici libello fuisset reticium nihilominus Summum Pontificem, de omnibus fuisse certiore reddidit ab Emo archiepiscopo, idque ad excludendam subreptionem sufficere, *Text. in Leg. Idem Dulpian. 12 §.: Sunt, Rot.* in recent. dec. 227 num. 9. part. 13. Caeterum observant, tunc subreptionem induci, quando circumstantia, quae reticita fuit, vel summum pontificem a concessione gratiae retraxisset vel illum difficiliorem reddidisset, *Rot.* cor. Merin. decis. 688. n. 7 et decr. 162. num. 43 part. 12 Recent.

Ad II. Fatentur quidem ex littera indulti compelli non posse rectorem ecclesiae SS. Felicis et Audacti ad retinendum in ea sanctissimum Sacramentum, secus tamen si ratio habeatur mentis Summi Pontificis indultum concedentis, et causam, ob quam illud fuit concessum, sane non aliam fuisse dicunt, nisi, ut prospiceretur adjacentium incolarum necessitati, qui lethali morbo correpti, non raro Sacramentorum auxilio destituebantur. Cogendum idcirco rectorem ad retinendum SS. Sacramentum, ne mens et intentio summi Pontificis fraudata remaneat.

Addunt post obtentum indultum jus ipsis fuisse quaesitum ad id cogendi